

hinc inde abrazerit (ab urbe stipendium nullum, itineribus
 infessis, mitti poterat) parique consilio & industria mon-
 tium incolis, Petri Advocari usus opera, nuces, rapa,
 castaneas, aliaque frugum genera ad levandam famem ex-
 presserit. Et illud pene incredibile dictu, quotiens sit ho-
 stem hæc fingendo, illa dissimulando ludificatus: qua pa-
 tientia gravem in tanta rerum penuria tulerit multitudi-
 nem. Nullius congressum aut colloquium evitare, ne il-
 lorum quidem, quorum domum sciebat pestilentia labo-
 rare, quum ipsa interim lues ita in miseram grassaretur
 civitatem, ut septuaginta pene quotidie efferrentur fune-
 ra. Omnibus horis ad eum patebat accessus: prandebatque
 in aperto, nec in ejus mensa alias panis ea temporum
 difficultate conspectus est, quam hordeaceus, aut furfu-
 reus, triticeus nunquam. Ferunt & calones nonnunquam
 in urbem pro frumentatoribus induxisse saccis palea aliave
 materia refertis, atque hoc ipsum ad novi commeatus spe-
 ciem civibus ostendendam. Et in propugnaculis sagittas
 quasi extra urbem missas clandestine affixit cum literis,
 quibus cives ab aliquo publico aut privato hospite, qui in
 castris esset, moneri viderentur: Caverent ne ab hoste spem
 veniæ, quæ ab illis prætenderetur, ullam sperarent: Sta-
 tuisse eos, si Brixia quandoque potirentur, eam funditus
 evertere, civesque ad unum cum liberis trucidare. His
 artibus ille commissam urbem non solum tuebatur, sed id
 fane consecutus erat, ut Pater patriæ vulgo a Brixiensibus
 diceretur. Demum sub Advocari redditum montanis fretus
 auxiliis, castella quorum ad Crucis unum, alterum ad
 Mompejanum fuit, subito incursu oppressa demolienda cu-
 ravit. Eo successu erecti Brixienes (Italus enim jam an-
 tea ad Castanedulum stativa habebat, ut quam longius
 posset, pestilenti cœlo abesset) constituerunt Salodium op-
 pugnatione tentare, rati fore, ut Veneta classe aquis la-
 cessente, si a continenti & ipsi locum acri adorti essent
 oppugnatione, vi aut voluntaria ditione Salodienses ad
 imperium retraherentur. Gavardum itaque convenere Thad-
 dæus Æstensis cum equitibus trecentis, quos reliquos ex